



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXVIII. Ad Christum crucifixum sanguinum sponsum
invitantur omnes sacræ Virgines, ac piæ animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XCVIII.

Ad Crucifixum Jesum, verum sanguinum sponsum invitantur omnes Sacrae Virgines & piæ animæ.

Egredimini, & videte filia Sion Regem in diademate, quo coronavit illum Mater sua. Cant. 3. 11.

I.

Cant. 3. 11.

Dilecta illa Sponsa, ubi Sponsus ejus erat à matre coronandus, filias Sion, ut è domibus suis egrederentur, & huic spectaculo adessent præsentibus, peramicè invitavit: *Egredimini, & videte filia Sion Regem in diademate, quo coronavit illum Mater sua.* O dura Mater, impia Synagoga! Siccine tractas divinum Sponsum tuum, amantissimum Jesum?

Isa. 53. 2.

Invito & ego hodie omnes pias animas, & Christo sacratas Sponsas, ut egrediantur de cubilibus suis, veniantque ad Calvarie collem, ubi cubat in meridie dilectus sanguinum Sponsus; ah quam durus lectus, & quam mirabilis hujus divini Sponsi aspectus: *Vidimus eum, & non erat aspectus, unde nec reputavimus eum.*

Cant. 5. 10.

Sponsa illa vidit dilectum suum candidum & rubicundum, & electum ex millibus. Ecce candidus & rubicundus est crucifixus Jesus, candidus propter innocentiam, & rubicundus propter passionem ac Vulnera. O lugubre spectaculum, cui simile non vidit orbis, neque amplius videbit: *Egredimini, & videte filia Sion.*

Cant. 8. 6.

2. Sponsus sanguinum, ut magis sponsam suam (piam animam) ad jugem sui memoriam, amorem & gratiarum actionem incitaret, sæpius illi crucis & mortis suæ injecit mentionem, ac præsertim ut sui effigiem jugiter in corde & brachio suo gestaret, & quasi signaculo cor & brachium obsignaret: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Signaculum in corde est pia meditatio de Christo crucifixo sanguinum sponso: Signaculum super brachium est pia

pia operatio, ut in omnibus Sponsa Christi se suo conformet dilecto; unde Guilielmus in Cantica: *Pone me ut signaculum, hoc est: Imprime mihi intus, me jugiter cogitando; imprime mihi foris propter me strenue operando, ut pia cordis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet.* Ecce imprimi debent piis Crucifixi Sponsis divina ejus Vulnera in cordibus earum ut sigilla ceræ; & quemadmodum sigilla duram refugiunt ceram, & quærunt mollem, ita & cor nostrum, nisi à calore divini amoris molles factum fuerit, non in se recipiet cœlestem divinorum Vulnerum impressionem.

Testem adduco B. Claram de Monte Falchio Virginem Augustiniam, ob singularem erga Christum Crucifixum amorem *Claram de cruce* nuncupatam, cujus cordi Christus Dominus non solum crucem, sed & clavos, flagella & spineam coronam impressit, quæ signa passionis Dominicæ etiam hodie spectantibus exhibentur. Ita Bozias & plures alii.

Bozias Lib. 1. de signis Eccles. cap. 19.

3. Inter alios titulos, quos Sponsa Christo dilecto Sponso suo solet attribuere, unus est, quo eum nominat simul & fasciculum myrrhæ & Botrum Cypri: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; Ex mox subdit: Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Sed quomodo convenit amaritudo myrrhæ cum dulcedine uvæ? Ecce mysterium in cruce Christi: eadem passio considerata ab eo, qui amat, fit illi simul Myrrha & Uva, amara ac dulcis, amara corpori, dulcis animæ, amara sensui, dulcis spiritui; hinc merito exclamat S. Bonaventura: *O passio desiderabilis! quid mirabilis, quam quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, & mundet intima, & nimius dolor nimum dulcorem inducat? O amor dulcis & amarus; vel ut melius dicam, totus dulcis, quia ipsa amaritudo vertitur in dulcedinem.*

Cant. 1. 12.

S. Bonav. in Medit. de Pass. Chr.

S. Catharinam Virginem Senensem consulamus, quæ aliquando post sacram Communionem Dominum & hunc crucifixum magno cum lumine adventantem conspicata est, ex cujus sacris quinque Vulneribus quinque radios ad quinque corporis sui loca descendentes advertit, unde divinitus quinque sacris Christi stigmatibus insignita est; cui Dominus insuper auream & spineam coronam obtulit, ut alterutrum eligeret, ipsa verò spineam elegit, & capiti suo impressit. Ceterum mira fuit Christi cum hac Sponsa sua familiaritas, quam non duntaxat sibi desponsavit, sed & ad divinissimum lateris sui vulnus eam admovens, ineffabili ac cœlesti potu refecit. En amarum & dulce!

Vita, Raymondus & alii.

4. Jehu dux magnanimus cum contra idololatrias pergeret de illis sumpturus ultionem, in via inveniens amicum interrogavit: *Ginther Unus pro omnibus.*

A a a

Nun-

4. Reg. 10. 15. *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Qui sine mora respondit: Est; ad quem iterum Jehu: Si est, da mihi manum tuam; qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum.*

Hoc ad vos quoque dicit, sacrae Virgines Dominus JESUS Sponsus vester, stans in triumphali curru S. Crucis (ita S. Ambrosius crucem appellat) *Nunquid cor vestrum rectum est cum corde meo? Si est, date mihi manum vestram, & sic levabit vos ad se in currum suum, & usque in coelum.*

Joan. Brugmannus in vita & alii.

Talis sponsa fuit S. Lydvina Virgo Belgica, qua Christi Crucifixi considerans dolores, pra animi teneritudine saepe sanguineas profundebat lacrymas. Haec aliquando in aegritudine sua, qua continuo velut aurum in fornace probabatur, Angelos mira luce fulgentes vidit in cubile suum ingredienti, & arma passionis Dominicae praeferentes, quorum unus crucem, alius lanceam, alius clavos, & alii alia sacratissima passionis deferebant insignia: Sequebatur dolorosa Virgo, Mater amoris & doloris cum diversis sacris Virginibus & caeli incolis. Demum advenit Christus ipse, elegantissimam pueruli indutus formam, qui sine mora in virum perfectum mutatus, instar crucifixi totus cruentus, & toto corpore saucius apparuit, & corpusculo hujus piensissima & infirmae Virginis quinque SS. Vulnerum suorum signa luculenter impressit. His ita gestis ad eam divina Mater accessit, atque arma passionis Dominicae, quae ab Angelis ferebantur, illi devotè deosculanda exhibuit: *Quid potest amanti anima esse suavius, ait Blofius, quam ut post distractiones, labores, perturbationesque multas in hac lacrymarum valle illi occurrentes, eamque satigantes, sub hac salutifera crucis umbra respiret, sese reficiat, sensus dispersos colligat, animamque exhaustam delectabili arboris hujus fructu consortet?*

Ind. Blof. Margar. Spir. cap. 15.

5. Minabatur quondam Angelus Moyfi mortem; Sephora uxor ejus advertens mysterium, citò circumcidit filium suum, cujus sanguinem ubi vidit ad pedes Moysis decurrentem, exclamavit: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Caterum Doctores plurimi verba haec Christo Redemptori nostro pereleganter accommodant, quia nonnisi plurimo fuso sanguine Sponsam Ecclesiam sibi comparavit: *Quam acquisivit sanguine suo.*

Exod. 4. 25.

Act. 20. 28.

Hoc & vos, o sacrae & Deo dicatae Virgines meritò Christo Crucifixo dicere potestis: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quia tuo sanguine animam meam tibi coemisti, & desponsasti; unde dixit S. Agnes Virgo tenerrima ad impium tyrannum: *Sanguis Christi Sponsi mei tinxit genas meas.* Et Christus vicissim ait ad similem Sponsam: *Vulne-*

Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, ob tui enim dilectionem nimiam tam indigna, tam horrenda, ipsamque mortem sustinere volui; Ego enim sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Adverte: Sub arbore malo omnes fere latini Patres crucem intelligunt; Eva enim consentiendo serpenti, hoc est diabolo, ab eo, quoad animam violata & corrupta est; hinc Christus non gladio, non igne, non alio tormento, quam ligno crucis occidi voluit, ut commissum in ligno ab Adam & Eva peccatum ligno crucis expiaret, ut sic diabolus, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

Cant. 4. 9.

Cant. 8. 5.

6. Sponsa illa dilecta nil magis concupivit, nil magis desideravit, quam sub umbra mali, hoc est: sub cruce requiescere; unde dixit: Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Talis Sponsa fuit comprimis ipsa omnium Christi sponiarum Regina, stans, & sedens sub umbra crucifixi Filii & amoris sui, & tamen fructus illius mali & crucis illi dulcis videbatur: Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Et quomodo, obsecro, dulcis?

Cant. 2. 3.

R. Multorum opinio est, quod sicut Christus in sua sanctissima Passione habuit simul summum gaudium & summum dolorem: Ita sanctissima Virgo in condolendo patienti Filio senserit simul summam compassionem, & summam congratulationem. Compatiebatur passioni Filii, & de ejus fructu lætabatur. Ad quod alludens S. Ambrosius dicebat: Maria stetit juxta crucem non ut Filii passionem videret, sed ut mundi redemptionem expectaret. Imitabere o Sponsa Christi, utrumque Virginis statum.

Vinc. Caraff.

in Fascic.

Myrrh. l. 3.

conf. 23.

